

tus sim vobis. Non facietis deos argenteos: nec deos aureos facietis vobis. Altare de terra facietis mihi: et offeretis super illud holocausta: et pacifica vestra: oues vestras et boves in omni loco in quo memoria fuerit nominis mei. **Bea.** Misere mihi domine quonia in firmus sum sana me domine. **Ps.** L. turbata sunt omnia ossa mea: et anima mea turbata est valde. **Secundum** **In illo matthei. xv. ca.** **T**empe: Accesserunt ad iesum ab hierosolymis scribe et pharisei dicentes: Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum? Non enim lauant manus suas cum pane manducant. Ipse autem respondens ait illis: Quare et vos transgredimini mandatum dei propter traditionem vestram? Nam deus dixit: Honora patrem tuum et matrem tuam: et qui maledixerit patri vel matri: morte moriatur. Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri vel matri: munus quodcumque est ex me tibi perderit: et non honorificabit patrem suum aut matrem suam et irritum fecistis mandatum dei propter traditionem vestram. **Hy-** pocrite bene prophetavit de vobis esaias dicens: Populus hic labijs me honorat: cor autem eorum longe est a me. Sine causa

autem colunt me: docentes doctrinas et mandata hominum. Et convocatis ad se turbis dixit eis Audite et intelligite: Non quod intrat in os coinquinat hominem: sed quod procedit ex ore: hoc coinquinat hominem. Tunc accedentes discipuli eius dixerunt ei Scis quia pharisei audito hoc verbo scandalizati sunt. At ille respondens ait: Displacitatio quam non plantavit pater meus celestis eradicabit. Sinite illos. Ceci sunt et duces cecorum. Cecus autem si ceco ducatum presterit: ambo in foveam cadunt. Respondens autem petrus dixit ei: Edissere nobis parabolam istam. At ille dixit: Adhuc et vos sine intellectu estis. Non intelligitis quia omne quod in os intrat in ventrem cadit: et in secessum emittitur. Que autem procedunt de ore: de corde exeunt: et ea coinquinant hominem. De corde enim exeunt cogitationes male: homicidia adulteria: fornicationes: furta falsa testimonia: blasphemie. Hec sunt que coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare: non coinquinat hominem. **Offert.** Domine fac mecum misericordiam tuam propter nomen tuum quia suavis est mihi misericordia tua. **Secre.** **S**uscipe quos domine **Secre.** preces populi tui cum obla-